

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0482

Sabato 30.09.2006

## LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CERIMONIE DI CHIUSURA DEL CONCILIO PLENARIO DEL VENEZUELA (CARACAS, 7 OTTOBRE 2006)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CERIMONIE DI CHIUSURA DEL CONCILIO PLENARIO DEL VENEZUELA (CARACAS, 7 OTTOBRE 2006)

In data 10 agosto 2006, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Jorge Arturo Medina Estévez, Prefetto emerito della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti, Suo Inviato Speciale alle cerimonie di chiusura del Concilio Plenario del Venezuela, in programma a Caracas il 7 ottobre 2006.

La Missione che accompagnerà l'Inviato è composta da:

- Rev.do Mons. Jesús González de Zárate, Vicario Generale dell'Arcidiocesi di Caracas;
- Rev.do Don Amador Merino, S.D.B.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Papa all'Em.mo Card. Jorge Arturo Medina Estévez:

### • LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro  
**GEORGIO ARTURO S.R.E. Cardinali MEDINA ESTÉVEZ**

Congrua profecto inter Venetiolanam gentem religiosae pietatis testimonia exstare ostendique omnes sat sciunt, ubi quondam Evangelii semen copiose satum mox uberes fructus genuit. Id quo magis in dies adolescat valde optamus, ut ecclesialis illa familia, ex antiquis annalibus depromens exempla indiciaque nostra quoque aetate Salvatoris arte teneat mandata eiusdemque largiter adipiscatur beneficia.

Aptis sane rationibus suppeditatis et opportunis subsidiis, cupimus Nos fidelium animi ut confirmentur, novo inde suscepto vigore et in christianam actionem studio. Quocirca libentes et volentes Venerabilis Fratris Raimundi Ovidii Pérez Morales Archiepiscopi-Episcopi emeriti Tequinensis ipsiusque Concilii Plenarii Venetiolani Praesidis postulata admittere properamus, qui nomine quoque ceterorum Episcoporum insignem a Nobis Missum poposcit qui memorato Concilio claudendo interesset.

Itaque ut celebratio haec festivius et convenientius peragatur, mittere virum eminentem statuimus, qui partes Nostras sustineat Nostramque pariter benignam mentem ostendat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus et animum, qui videris prorsus par acceptusque ad officium hoc tuendum et congruenter explendum. Quapropter te **Missum Extraordinarium** constituimus, ut, cum finis illi Concilio Caracae imponetur, mense autem Octobri die VII, ipsam vocem Nostram significes, unde penitus inde oriantur renovatae vires et spiritale in fideles incitamentum.

Palam demum benevolentiam Nostram declarabis et sollicitudinem, dum preces pariter fundimus ut Christi praeconium late proferatur, dumque Virginis Mariae a Rosario in omnes Venetiolanos fideles devocamus patrocinium, quae universis inibi hominibus sit ipsa fulgidum sidus. Salutationem tandem fervidam omnibus porrigas et Benedictionem Nostram Apostolicam cunctis simul huius eventus participibus nomine Nostro Nostraque auctoritate largiaris volumus, quae sit divinarum gratiarum nuntia et felicius aevi signum.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Septembris anno MMVI, Pontificatus Nostri altero.

BENEDICTUS PP. XVI

[01354-07.02] [Testo originale: Latino]

---